

ipsius subjecti nihil habeat, rationem non entis habet; a parte vero praedicati aliquid habet ipsa compositio: et ideo a parte subjecti removet naturam rei et proprietatem subjecti; a parte vero praedicati naturam non removet, sed inhaerentiam tantum. Quod autem dicunt contraria simul falsa, contradictoria vero non; hoc est in propositionibus ratione signorum; quae in contrariis sunt universalis ex utraque parte; in contradictoriis vero non, sed ex una tantum. Cum enim praedicatum aliquod contingenter inest alicui subjecto, non potest universaliter de eo affirmari vel negari nisi falso; et ideo falsitas quae est in talibus propositionibus accidit quia accipitur ut subjectum contrariorum, quod non est subjectum secundum se, sed secundum aliquid sui, non tamen quod secundum se denominari potest: unde falsitas attenditur a parte subjecti, et non a parte contrariorum: et ideo causatur ex additione signorum: signa autem subjectis habent addi. Si vero attendatur natura ipsorum contrariorum tantum, inter quae est oppositio, non erit convenientia in falsitate. Si enim accipitur subjectum secundum quod natum est subijci contrariis, ut corpus, impossibile est simul falso affirmare et negare de eo alterum contrariorum: ut puta, si accipitur aliquis homo ut subjectum sanitatis et aegritudinis, affirmatio unius contrariorum de eo est negatio ejusdem quod est affirmatio alterius: et ideo nec simul verae sunt nec simul falsae, sicut nec duae contradictoriae absolute. Considerandum est ergo quando aliquid reperitur in contraria oppositis, utrum hoc sit a parte subjecti, aut a parte extremorum. Si a parte extremorum, attribui debet ipsi oppositioni secundum se. Si autem a parte subjecti, non nisi per accidens; et ideo accidit quod duae propositiones contrariae sunt simul falsae a parte subjecti propositionis, et non ratione extremorum, ut dictum est. Et ideo quando negatur alterum extremorum de subjecto aliquo, ut album, patet quod ipsa negatio supponit aliquid, a quo removet albedinem, scilicet subjectum; et similiter quod removetur. In contradictoriis autem absolute non praesupponitur aliquid tanquam subjectum, cum non habeant medium, ut dictum est. In oppositis vero relative non est transmutatio; sed tamen ipsa relatio quandoque sequitur transmutationem, sicut sunt relativa quae sequuntur generationem naturaliter. In aliis vero generibus super quae relatio fundatur, vel est transmutatio inter ipsa extrema, sicut relatio inter esse et non esse, et hoc pertinet ad genus substantiae: vel ipsum genus consistit in ipsa transmutatione, ut actio et passio. Transmutatio autem multas habet species, ut patet in lib. Phys.: sed motus qui est una species, non est nisi in tribus generibus, ut ibidem patet. Et haec de quatuor oppositis dicta sufficiant.

## OPUSCULUM VI.

## DE PROPOSITIONIBUS MODALIBUS

(Estr. Rom. XL.)

Quia propositio modalis a modo dicitur, ad sciendum quid sit propositio modalis, oportet prius scire quid sit modus. Est autem determinatio adiacens rei, quae quidem fit per adjectionem nominis adjectivi, quod determinat substantivum, ut cum dicitur "homo est albus", vel per adverbium quod determinat verbum, ut "homo currit bene". Sciendum etiam quod triplex est modus. Quidam determinat subjectum propositionis, ut "homo albus currit." Quidam determinat praedicatum, ut "Socrates est homo albus", vel "Socrates currit velociter." Quidam determinat compositionem ipsam praedicati ad subjectum, ut cum dicitur "Socrates currere est impossibile", et ab hoc solo modo dicitur propositio modalis. Aliae vero propositiones quae modales non sunt, dicuntur de inesse. Modi autem qui compositionem determinant, sunt sex, scilicet: verum, falsum, necessarium, impossibile, possibile, contingens. Verum autem et falsum nihil addunt supra significationes propositionum de inesse: idem enim significatur cum dicitur "Socrates non currit", et "Socrates currere est falsum": et Socrates currit, et Socrates currere est verum. Quod non contingit de aliis quatuor modis, quia non idem significatur cum dicitur "Socrates currit et Socrates currere est possibile." Et ideo praetermissio de vero et falso, de aliis quatuor consideremus. Quia vero praedicatum determinat subjectum, et non e converso; ideo ad hoc quod propositio sit modalis, oportet quod quatuor praedicti modi praedicentur, et verbum importans compositionem ponatur pro subjecto: quod quidem fit, si pro verbo indicativo propositionis sumatur infinitivus, et pro nominativo accusativus: et dicitur dictum propositionis, sicut hujus propositionis "Socratem currere est possibile", dictum, est Socratem currere. Quando ergo dictum ponitur pro subjecto, et modus pro praedicato, tunc est propositio modalis, ut cum dicitur "Socratem currere est possibile." Si autem convertatur, erit de inesse, ut "possibile est Socratem currere." Propositionum autem modalium quaedam est de dicto, quaedam est de re: modalis de dicto est, in qua totum dictum subijcitur, et modus praedicatur, ut "Socrates currere est impossibile", modalis de re est, in qua modus interponitur dicto, ut "Socratem possibile est currere." Sciendum est autem quod omnes modales

de dicto sunt singulares, eo quod modus praedicatur de hoc vel de illo sicut de quodam singulari. Modalis autem dijudicatur: universalis, particularis, indefinita, vel singularis secundum subjectum dicti sicut de propositionibus de inesse, unde haec "Omni hominem possibile est currere", est universalis, et sic de aliis. Item sciendum est, quod propositio modalis dicitur affirmativa, vel negativa secundum affirmationem, vel negationem modi, et non dicti; unde haec "Socratem non currere est possibile", est affirmativa; haec vero "Socratem currere non est possibile", est negativa. Attendendum est autem quod necessarium habet similitudinem cum signo universalis affirmativo, quia quod necesse est esse, semper est: impossibile cum signo universalis negativo, quia quod est impossibile esse, nunquam est. Contingens vero et possibile similitudinem habent cum signo particulari: quia quod est contingens et possibile, quandoque est, quandoque non est. Et ideo necesse est esse et impossibile est esse, sunt contrariae, et possibile est esse et possibile est non esse, subcontrariae: necesse est esse et possibile est esse, subalternantur: et similiter: impossibile est esse et possibile est non esse; sed necesse est esse et possibile est non esse, contradictoriantur; similiter: impossibile est esse et possibile est esse, ut patet in sequenti figura. Notandum, quod omnes propositiones, quae sunt in eodem ordine, aequipollent. Lex autem, et modus argumentandi in contrariis, subalternis et contradictoriis eodem modo attenditur in his, sicut in propositionibus de inesse. Sciendum est autem circa modalium aequipollentias, quod idem operatur negatio posita ad modum, sicut in propositionibus de inesse. Negatio in modalibus praeposita modo facit aequipollere suo contradictorio, ut "non necesse est esse, et impossibile est non esse", aequipollent; negatio vero apposita dicto, facit aequipollere contrario: negatio vero apposita utriusque, subalterni. Unde sciendum, quod possibile et contingens idem significant: unde propositiones de possibili contingenti similiter ordinatae aequipollent. Omnes autem propositiones sibi invicem aequipollentes sunt in uno ordine. Unde patet quod quatuor sunt ordines. Primus ordo est: possibile est esse cum suis aequipollentibus. Secundus: possibile est non esse cum suis aequipollentibus. Tertius: impossibile est esse cum suis aequipollentibus. Quartus: necesse est esse cum suis aequipollentibus. Ex quo patet, quod quartus ordo contrarius est tertio, ergo primus subcontrarius secundo, tertius contradictorius primo, quartus secundo contradictorius, primus quarto subalternus, et secundus tertio. Unde versus:

Tertius est quarto semper contrarius ordo.  
Pugnat cum quarto contradicendo secundus.  
Sic subcontraria linea tibi prima secundae.  
Tertius est primo contradictorius ordo.  
Prima subest quartae vicem particularis habens.  
Sed habet ad seriem se lege secunda sequentem.  
Vel ordo subalternus sit primus sive secundus.  
Primus amabimus, edentulique secundus.  
Tertius illiace, purpurea reliquis.  
Destruit u. totum sed a. confirmat utramque.  
Destruit e. dictum, destruit i. que modum.

**Purpurea**

Non possibile est  
non esse.  
Non contingens est  
non esse.  
Impossibile est  
non esse.  
Necesse est esse.

*Contrariae**Subalternae*

Possibile est esse.  
Contingens est  
esse.  
Non possibile est  
esse.  
Non necesse est  
non esse.

*Subcontrariae***Amabimus****Illiace**

Non possibile est  
esse.  
Non contingens  
est esse.  
Impossibile est  
esse.  
Necesse est non  
esse.

*Subalternae*

Possibile est non  
esse.  
Contingens est  
non esse.  
Impossibile est  
non esse.  
Non necesse est  
esse.

**Edentuli**